

Ec. 13. 4to



DE SALVTIFE
RÆ MORTIS AC GLORIOSI IN VL
TAM REDITVS DN. AC SERVA
TORIS NOSTRI IESV CHRISTI
MERITO.

CARMEN SCRIPTVM.

A
PETRO EBERHARDO
Pefnicensi.



IENÆ.

Typis Donati Richtzenhan.
M. D. LXXVIII.

11

A 20/19



PRVDENTIA, DOCTRINA, AC VIR-
tute præstantibus viris, D D. Coss. Reipub. Pefni-
censis, Et Clarissimo viro Dn. M. Hieronymo
Starck, Eiusdem reipub. Syndico, cæterisque Se-
natoribus prudentiff. Patronis ac Me-
cænatibus suis, omni reuerentiæ
cultu obseruandis.

S. D.

Pefnicios inter pars Electissima ciues,
Digna senatorio, turba verenda, grege.
Tu quoque Phæbea semper dignissime Lauro,
Vir grauis, & iusti gloria magna fori.
Sumite pauca, precor, iucundo carmina vultu,
Et mea non dura, voluite scripta manu.
Grandia si possent, ferrent quoque munera Musæ,
Sed quoniam nequeunt munera, vota ferunt.
Sint quamuis ea parua nimis, nec munere digna,
Illa tamen gratæ pignora mentis erunt.
Postmodo crescentes si vires auxerit ætas,
Pierides vobis splendidiora dabunt.

V. Prudentiæ addictiss.

Petrus Eberhardus
Pefnicius.

DE MORTE AC RESVRRECTIONE
DOMINI NOSTRI IESV
CHRISTI.

TEmpora floriferi redeunt viridantia veris:
Tristia cesserunt frigora, fugit hyems.
Mitior & Zephyri, Borea cessante, resurgit
Aura: nouas tellus sumit amœna vices.
Altiùs ignitum ducit super æthera currum
Cynthius, & blando terra calore viget,
Exultant stellæ, meditatur Luna choreas,
Lætitiâ vultu testificata suam.
Hoc species prodit nitidissima tempore mundi,
Quo reparata, nouis frugibus, arua nitent.
Condita nunc lætos ostendunt omnia vultus,
Et varijs peragunt, gaudia mille, modis.
Gratatur tellus sibi condecorata colore
Florum: se tenero cespite vestit humus.
Flumine lætantur pisces, volucresq; canoræ
Dulcisonis iterum vocibus arua replent.
Daulias extincti flet tristia funera nati,
Æthere sed dulces dat Philomela sonos.
Nunc seges agricolam culto delectat in agro.
O Seges in medio dulce cubile die.
Nunc flore, & folijs renouatur in arbore ramus:
Induit vmbrosas frondea sylua comas.
Dumq; leuem tenui modulatur arundine Musam
Pastor, & alternum ludit auena melos:
Alternis campi resonant balatibus: agni
Exultant, læti luxuriantq; boues.
Suscitat intereâ tacitos calor artubus ignes,
Cunctaq; lætanti pectore membra vigent.

Atq; vt purpurei iucundo hoc tempore veris,
In vitam redeunt condita quæq; nouam:
Funera sic Christi verni quoque temporis ortus,
Atq; redemptoris parta trophæa refert.
Ergo hanc nos grato celebremus carmine lucem,
Fulgida qua Christus membra leuauit humo.
Candida lux salue, lux optatissima salue,
Sancta dies, qua non sanctior orta prius:
Clara dies omni longè præclarior æuo,
Aut si quid claro clarius esse potest:
Vestibus auratis, viridi decoranda Smaragdo,
Ritibus ac pariter concelebranda sacris.
Alma dies hæc est, celebri sacrata triumpho,
Qua domito Christus carcere victor ouat.
Conueniant populi, sacrataq; templa frequentent,
Ac digna celebrent hunc pietate diem.
Huc puer, huc flectas gressum veneranda senectus:
Huc propera festo fæmina virq; die.
Dicite Christiadaë victricia carmina Christo:
Omnis iò læta voce, triumphæ, so, æt.
Maxime victor aue, victorum maxime salue,
Te mea victrici carmina laude vehunt.
O mea si posset tantos resonare triumphos
Tibia, & hæc dignis acta referre modis:
Sponte suas animi vires extenderet omnes,
Conderet & laudes carmine, Christe, tuas.
At quia iam tenues mihi sunt in carmina vires,
Nostraq; verborum Musa vacillat inops.
Dum tua solius laus, gloria, splendor, honosq;
Dicitur, aura me viuificante regas.
Et faueas ceptis, sacro sine flamine cuius,
Nil mea Musa potest, ingeniumq; valet.

Da

Da mihi sit tersæ diues facundia linguæ,
Ac reduci valeam grata referre nouo.
Omnes hisce decet nos perpendisse diebus,
Reddita qua nobis sit ratione salus.
Cum nulla hanc poterant delere piacula culpam,
Commisam, vetito crimine, fontis Adæ;
Non erat æterni placabilis ira Tonantis,
Ira minans atræ funera sæua necis:
Pro noxis hominum fieret nisi victima Christus,
Ac lueret primo facta luenda patri.
Christus vt ergo graui lustraret crimine mundum
Solueret ac summo debita lytra patri:
Crudelem patiens sublimi in stipite mortem,
Nos propter fontes hostia factus, obit.
Heu quas ipse dedit mundi pro crimine pœnas,
Pro nobis colaphos, flagra, crucemq; ferens:
Tristia sanguineas emittunt corpora guttas:
Impediunt captas vincula torta manus.
Cæditur indignis sub iniquo præside virgis:
Saucia concreto membra cruore madent.
Impia vesanæ tolerat conuicia linguæ,
Inflictoq; sacrum vulnere corpus hiat.
Sustinet immanes traiectus cuspidis ictus:
Præcingit sanctum spina cruenta caput.
Liuent heu turpes atro squalore læerti:
Ingenuas fædant sordida sputa genas.
Inter sacrilegos tandem haustus morte latrones
Pendet ab infami, triste catharma, cruce.
Hæc quem non moueant? testantur saxa dolores,
Pondere sub tristi, mota tremiscit humus.
Angelicæ in luctus animum dant inde cohortes,
Ac Domini querulo fata dolore gemunt,

A ;

Quia

Quin etiam cælo contemplans talia Phœbus
Palluit, & medio nox fuit orta die.
Singula quid referam? squalent simul omnia luctu?
Omnia solliciti signa doloris habent.
At nunc, Tartarei fracta ceruice Draconis,
Cum stygio palmam victor ab hoste ferat:
Gaudia pertentant cælum? tellusq; resultat
Plausibus, ac terram quod mare cingit aquis.
Atq; serenati nobis arridet Olympi
Gratia, & excussis aera siccat aquis.
Maxime victor aue, victorum maxime salue:
Te mea victrici carmina laude vehunt.
Tertia vix claros aurora reduxerat ortus,
Lucifero roseum præueniente diem:
Victor vti emergis superas rediuius in auras,
Comminuens valida faxea claustra manu.
Perfractoq; nigri Phlegetontis carcere, tecum
Educis manes, agmina sancta, patrum.
O nimium felix, gens ô stygis eruta claustris:
En capis immensæ præmia larga moræ.
O Veneranda dies omnem celebranda per orbem,
Phæbus ab Eoo dum vehit axe diem:
Non, si mille mihi resonarent guttura linguis,
Mœoniū flueret si mihi vena senis:
Non, foret in nostra quamuis ea gratia voce
Dæserti quondam quæ Ciceronis erat:
Non (inquam) possem verbis depromere laudes,
Quas hoc es meritis, Christe benigne, die.
Sola sed æterni soboles æterna parentis
Laudibus hunc dignis concelebrare potest:
Qui genus humanum repetens é faucibus orci,
Sanguine deleuit crimina nostra suo.

O Vti=

O vtinam dignas valeam tibi soluere grates
Victor, & æterni summa propago patris.
Tu diro sæuam patiendo in robore mortem
Soluisti mortis pectora nostra metu.
Te victore patet reſerati ianua cæli:
Et facta eſt largi mitior ira Dei.
Ergo vera Dei proles hominumq; redemptor,
Maxima ſpes, vitæ vita, ſaluſq; meæ.
In cuius meritas cecini pia carmina laudes,
(Noſtra licet balbo gutture Muſa ſonet)
Per tua te tota ſanctiſſima vulnera mente
Oro: modo precibus flectere quæſo meis:
Suscipe me nimia peccati mole grauatum,
A me nec vultum reijce quæſo tuum.
Tu rege diuino noſtram ſpiramine mentem,
Da mihi ſancta tuæ munera noſſe necis,
Stamina cumq; mihi ſoluunt fatalia vitam,
Et propior noſtri funeris hora venit:
Fac tua confitear patefacti dogmata verbi,
Ac rectam vera cum pietate fidem.
Retractumq; imis cæci de vallibus Orci,
Transfer in optati me tua regna poli.
Atq; animæ concede, tuo requieſcere regno,
Intuituq; patris colloquioq; frui.
Interea placide claudantur membra ſepulchro,
Donec erit ſummus iudicijq; dies:
Nos vbi cæleſtis capiemus gaudia vitæ
Gaudia non vlllo diſperitura die.

Gaudia non vilo disperimus die
Nos ubi caelis capimus gaudia vix
Donec est summus iudicis dies
Inter spaci de claudantur in ambra sepulchro
In unum patris colloquor sui
Ad patrem concede, tu repulchre regno
Transer in optat me tu regis polle
Retractum patris caet de vallibus Oris
Ac rectam vera cum pietate hinc
Fac tua conuenit prelati dogmata verbi
Et propior hosti iudicis horis venit
Stamina campis solent fatalis vitam
De iudicis patris in unum nosse nocis
Tu regis dno no sum iudicis iudicem
A me nec vultum respice iusto iudicem
Sulcis metibus peccati mole gravatum
Oro: modo precibus iudicis iusto iudicem
Per tua te tota sanissima vulnera mentis
(Nostri licet balbo gutture Mula sonet)
In curas mentis cecini pia carmina laudes
Maxima spes vix vix salua mori
Ergo vera Dei proles hominum iudicem
Et facta est iudicis iudicis iudicem



Cl 4160


ULB Halle
003 485 978

3



mc







DE SALVTIFE
RÆ MORTIS AC GLORIOSI IN VL
TAM REDITVS DN. AC SERVA
TORIS NOSTRI IESV CHRISTI
MERITO.

CARMEN SCRIPTVM.

PETRO EBERHARDO
Pefnicenfi.



IENÆ.

Typis Donati Richtzenhan.
M. D. LXXVIII.